

## CAPUT II.

D E

## USU CICUTÆ.

**A** multis Auctoribus cicuta externe applicata contra mammarum incrementum, scirrhosas indurationes, ischiadicum, & hæmorrhoidum dolorem commendabatur. Sic in dispensatorio viennensi emplastrum de cicuta, præstans remedium in scirrhis, & duris lienis tumoribus notatur. Pauci interne cicutam propinarunt. Verum a celeberrimis in arte viris, ut venenata, damnatur: ipse Cl. Geoffroy, Renaldi & Bowle experimenta recensens, monet, prudentiorem esse, qui ea abstinet.

De-

Demum celeberrimus Archiater Antonius Störck cicutam innocuam esse non solum demonstravit ; verum extracto ejusdem multos morbos , qui hucusque curatu impossibiles dicebantur , sanavit.

Exemplo ductus , plurimis in morbis medicamentum hoc felicissime exhibui.

Sic tumores scirrhusi , scrophulosi multi mihi occurrebant , quos cicuta curavi. Incipiebam ut plurimum a sex pilulis gran. iij. nycthemeri spatio. Neque quidquam incommodi inde sentire ægri.

Externe fomenta cicutæ applicui , quibus ob negotia non licuit fomentis uti , emplastrum substitui.

Solebam omni secunda , aut quarta septimana purgans dare. Consultum

B

enim

enim id duxi, ut crassum tumoribus inhærens, cicuta fufum, humoribus forte mistum, e corpore eliminetur, cum usu cicutæ raro evacuatio sensibilis augeri observetur.

Quidam horum ægrorum 5<sup>ta</sup>, 8<sup>va</sup>, 10<sup>ma</sup> septimana sanabantur; nonnulli 4 5. mensibus ad perfectam sanationem usque utebantur.

Feminae ut plurimum citius, ac viri curantur.

Tumores valde magni cicutæ usu mox valdopere minuti, pertinacius nonnunquam resistebant, ubi ad parvam molem jam redacti erant.

Plurimis fundebantur tumores scirrhusi, paucis suppuratione bona consumebantur.

Inter suppurationem acriter medicamentum continuavi.

*CASUS PRIMUS.*

**V**ir 32. annorum parotides, glandulasque colli lapideas & adeo tumidas habens, ut surdus inde factus, difficillime deglutiret, ac respiraret, cicuta interne, ac externe applicata, 6<sup>ta</sup> die jam melius audiebat, deglutiebat, respirabat; molliores multo omnes erant tumores, spatio 15. septimanarum integre restitutus fuit.

*CASUS SECUNDUS.*

**E**xpertissimus Doctor Poltzer feminam 28. ann. ad me misit, schirrhosis magnis parotidibus, glandulisque submaxillaribus laborans; cicutæ extracto, & fomentis ejusdem 14. septimanis curabatur.

*CASUS TERTIUS.*

**F**emina 44. ann. scirrhus in utraque mamma per plures menses habuit, quos neglexit. Sed dum dolores magni accedebant, consilium meum petiit, ope cicutæ 7. septimanar. tempore integre disparuere scirrhi.

Quatuor mensibus optime se habuit; dein vero tumores parotidum nascebantur magni indolentes, cum respiratione paulum difficiliore, nullis tamen per plures hebdomadas medicamentis uti volebat. Dum vero ingenti dolore partium tumidarum corripiebatur, respiratio celeris, anhelosa fere ad suffocationem usque fiebat; me denuo in auxilium vocavit; ad cicutam iterum confugi, & omni hora cochlear sequentis mixturæ sumi iussi.

℞. Extract. cicut. drachm. jβ.

Solv. in unc. jβ. aq. font.

Add. oxymel. scillit. unc. β.

Syrup. diacod. unc. j.

Mf.

fomentis cicutæ partes dolentes continuo involvebantur. Dormivit jam magis placide, dolores minuebantur: pergebam itaque usu eorundem medicamentorum, altera die dolores iterum mitiores, collum, quod antea inflexile fuit, parum movere potuit, respirabat liberius, tertia die omni trihorio cochlear mixturæ propinabatur; sputa crassa prodierunt; 9<sup>na</sup> die, integre ab omnibus symptomatibus libera erat.

Cavendum est in scirrhis, ne feminae thoracibus arctioribus eos premant: pauperes monendi sunt, ut lin-

tea teneriora schirrhosis tumoribus imponant, quibus affriectus indusii asperi impediatur.

Diæta non adeo stricta requiritur, vidi pauperes, leguminibus & farinosis solum utentes cito, & integre curatos.

In cancro binis tantum vicibus cicutam tentare licuit.

*CASUS QUARTUS.*

**V**ir 50. ann. adeo foedum cancrum habuit ut cernens eum, totus horruerim: integra facies sinistra cum oculo exesa fuit, jamque in dextram partem malum serpebat, viribus & corpore maxime exhaustus in nosocomium deferebatur; delirabat: quare materiam morbosam ad interna encephali Jam delirium judicavi. In casu hoc desperatissimo quotidie binas drachmas

eor-

corticis peruviani, atque cicutam interne, & externe ordinavi. Potus erat ex binis partibus aquæ cum tertia lactis. Brevi tempore deliria cessarunt, appetebat, fœtor minuebatur; omisi corticem, & sola cicutam pergebam. Post binos menses caro pulcherrima, nullus dolor, nullus ichor, sed optimum pus observabatur. Confabulabatur æger, vires in dies augebantur, & omnia sanationem promittebant. Mirabar cum fratre Abdon egregio nosocomii chirurgo, cicutæ in hoc desperatissimo casu virtutem. Sed dein constitutione dysenterica superveniente, ea periit.

## CASUS QUINTUS.

**F**emina 31. ann. 7. mensium spatio cancrum in naribus habens, post 16. septimanas cicutam integre curabatur.

Nunc Juvenem cancrorum in nosocomium recepi, qui licet 14. solum diebus cicuta utatur, tamen jam ulcus multum nitidius, non foetens apparet.

In spina ventosa pulchros cicuta effectus vidi, & primum juvenem 21. ann. spina ventosa laborantem curavi.

Phthificos scrophulosos nonnullos cicuta sanavi, pro potu solebam dare infusum veronicae, melle aut syrupo diacodii edulcoratum.

In his tamen ægris minori dosi cicutam exhibui, & a 4. solum pilulis nycthemeri spatio sumendis incepti.

Ubi effectum quandoque non adeo magnum observavi, sequens medicamentum præstans expertus sum.

℞. Veron.

Virg. aur. a m. j

Ci-

Cicut. dr. iij

bulliant per horæ  $\frac{1}{3}$  horæ, colat lib. j $\beta$   
fortiter expressæ add. syrup. diacod.  
unc. j $\beta$ . Sumat omni trihorio unc. ij.

CASUS SEXTUS.

Vix 40. ann. multis ulceribus & tu-  
moribus scrophulosis purulentis  
laborans, phthisi correptus, in no-  
socomium transferebatur. In casu  
hoc desperato cicutam interne dedi,  
simulque infusum ex veronica melle  
edulcoratum præbui, externe fomenta  
cicutæ applicabantur. Spatio 3. men-  
sium minora ulcera consolidata, ma-  
jora pulchriora, nec foetida erant;  
respiratio levabatur; sputa purulenta  
in alba mutabantur; loquela vix antea  
perceptibilis, distincta fiebat, vires au-  
gebantur, & jam sanationis spes magna

erat. Verum æger impatiens nosocomium dereliquit, & appetitui nimium indulgens in dysenteriam incidit, qua, in nosocomium denuo portatus, mox periit.

*CASUS SEPTIMUS.*

**M**iles e Regimine Equitum Principis de Lichtenstein, potui multum deditus; vagis arthriticis doloribus diu laboravit, demum integre emaciatus, tussi sicca corripiebatur, quam dein sputa purulenta exceperunt; dolor satis magnus totum occupavit pectus; pulsus debilis erat parum celerior; sudoribus nocturnis diffluebat æger. Sic in nosocomium translatus, solo cicuta extracto convaluit. Mox primis diebus æger levamen magnum sensit a pilulis  
ci-

cicutæ; quare me rogavit, ut usum earum continuare liceret.

Potus fuit ex 2. partibus aquæ & 1. parte lactis.

Id notare debeo, pectore levato, dolores artuum rediisse; sed & hi brevi cicuta fugati sunt.

In tussi sicca, sine causa manifesta, ubi schirrhosi pulmonis suspicio, infusum ex cicuta & veronica valde utile deprehendi.

CASUS OCTAVUS.

Juvenis 20. ann., ob negotia scalas plurimas quotidie adscendere coactus tussi sicca, respiratione difficili & anhelosa diu jam laborans, me accessit. Suspicebar schirrhosi quidquam latentis; quare cicutam exhibui. Continuato per tempus remedio sensit levamen, sed in-

te-

tegre malum non cedebat. Verum en!  
quinque lapillos, duos gran. iij. & tres  
minores tussi ejecit, externe gypsum  
referentes, ossa tamen duritie prædi-  
tos. Jussi postmodum cicutam adhuc  
dum continuari. Nunc optime valet.

In Arthritide recenti solum cicutæ  
extractum sæpissime curam absolvit,  
& plures nunc in nosocomio decumben-  
tes intra breve tempus restitui.

Sed & annosi arthritici, qui ad omnia  
adhibita non levabantur, cicuta cura-  
bantur.

Nonnullis simul infusum chamædry-  
os & chamæpityos exhibui.

Neque sanatio infuso huic tribuenda  
erat; eo enim solo utentes non leva-  
bantur.

Citio<sup>rem</sup> in hoc morbo effectum a cicutæ extracto, in aqua soluto, mixturæ forma hausto, quam in pilulas redacto obtinui. An quod citius massam humorum intret; & minus a contentis in ventriculo ac intestinis alteretur?

Ubi tumores arthritici admodum dolentes adfunt, nil fomento cicutæ melius.

Quandoque, dum hæc non mox levamen ferebant, partem affectam decocto cicutæ immergi jussi, maximo cum ægrorum levamine.

Duo tantum fuere, qui hæc fomenta ferre non poterant; hinc abstinendum erat.

Ad leniendos podagræ dolores cicutæ in- & externe applicata egregie prodest.

Non-

Nonnullos habui, diu pedum doloribus lancinantibus laborantes; varia medicamenta interna, & externa frustra in usum vocarunt, solis balneis, ex cicuta paratis liberabantur.

Achores infantum feliciter fugantur; dum eorum capita decocto cicutæ lavantur.

Oportet autem purgans interdum exhibere, ut acre, forte sanguini mistum e corpore eliminetur.

#### CASUS NONUS.

Juvenis 20. ann. tinea laborans varia, remedia frustra adhibuit. Petiit postea nosocomium. Dedi tunc purgantia, caput decocto tabaci lavabatur; sed incassum. Substitui dein decoctum cicutæ, sat brevi malum fere integre cedebat. Timens autem æger, ne servitium

tium perdat, nosocomio exivit. Bre-  
vi iterum malo aucto, me accessit :  
experimenti causa denuo eum in nosoco-  
mium recepi, & cicutæ lavatione integre  
sanavi. Bibit simul quotidie libram de-  
cocti bardanæ, &, cum adeo celerem  
mutationem vidissem, purgans sæpius  
exhibui, ne materia acris, forte resorpta  
malum aliud induceret.

Pessimæ scabies sola lotione ex cicu-  
ta tolluntur, neque unquam quidquam  
sinistri inde expertus sum.

*CASUS DECIMUS.*

**M**ilites duo Regiminis Lichtenstein  
in nosocomium transferebantur.  
unus horum integram sinistram pecto-  
ris partem cum brachio ejusdem lateris,  
alter vero utrumque pedem adeo foedum  
habuit, ut elephantiasin mentiretur.

Ulti-

Ultimus spatium 14. dierum, prior vero per 4. septimanas sola lotionem ex cicuta integre curati sunt. Omni octiduo tantum purgans ex scamonio dedi.

Simili methodo puerum in eodem morbo brevi & integre curavi.

Ubi a scabie retropulsa mala oriuntur, egregium medicamentum est cicuta.

*CASUS UNDECIMUS.*

**S**artor 24. ann. scabie valde affectus, unguento contra scabiem fugavit eam; sed oppressione pectoris ingenti, & difficili respirio corripiebatur: sudoribus nocturnis vehementer vexabatur; sputa purulenta foetida ejecit. Cicuta interne sumpta integre convaluit.

In ulceribus serpentibus pessimis, contra omnia remedia rebellibus virtutem cicuta multoties expertus sum.

Dum

Dum extractum propinavi, fomenta applicavi; vel quandoque lintea carpta, decocto matida ulceri imposui.

CASUS DUODECIMUS.

**F**emina 37. an. ulcera pedum per 7. annos habens, variis frustra adhibitis aptis remediis demum me accessit. Spatio 15. septiman. cicuta in & externe adhibita integre restituta est.

In ulceribus venereis annosis cicuta nonnunquam profuit, ubi ipse mercurius sublimatus spiritu frumenti solutus incassum adhibebatur.

In fluoribus albis malignis, gonorrhæis inveteratis egregium remedium cicuta est.

Scabiem veneream cum extracto & lotionibus nonnunquam sanavi:

Ulcerà scorbutica, quæ adhibitis etiam antiscorbuticis non cedunt, non raro cicuta curantur.

Neque tamen is sum, qui ideo cicutam medicamentum universale in ulceribus statuam. Vidi paucos, qui cicutam ferre non poterant; vidi aliquos, quibus non profuit, id solum contendo, me non noscere medicamentum generalius, certiusque, ac cicutam, & eam sæpissime effectum in similibus præstitisse optimum, ubi alia aptissima remedia incassum tentabantur.

*CASUS DECIMUS TERTIUS.*

**F**emina 42. ann. ab ultimo ante sexennium puerperio fluore laboravit uterino. Materies acris erat rodens, Vicinas partes excorians, pessime foetens, varia aptissima a prudentissimis in arte

arte viris, sed frustra adhibuit remedia. Pilulis ac absterfione partium cum decocto cicutæ, infuso agrimonix, spatio 19. septimanar. integre curata est. Quatuor solum vicibus eam senna purgavi.

In fistulis & sinibus non minus effi-  
cax est cicuta.

*CASUS DECIMUS QUARTUS.*

**V**ir 45. ann. fistula ani laborans, operationem sustinuit. Verum post eam dolores in intestino recto semper sensit, & ichorosa materia per alvum quotidie exiit, augebantur hæc mala immaniter per 6. menses, demum, totus emaciatus, febricitans, in nosocomium deferebatur. Adeo immanes erant dolores, ut mortem magis optaret æger, quam tanta tormina ferre. Mitigata

per corticem peruv. febre, varia remedia frustra adhibui. Jussi dein clysmata ex decocto cicutæ cum lacte ano injici; verum injecta enemata mox iterum exiere. Propinavi demum pilulas ex cicuta, eo cum effectu, ut æger me rogarit ulteriorem pilularum usum: cum solum remedium esset, ex quo levamen perceperit. Pergebam itaque alacriter, & spatio 2. mensium eum integre restitui.

Ob dolores ingentes prægressos, forte & calamitates, totus stupidus ac melancholicus evasit. Verum sine medicamentis ad se redeuntem adhuc dum in nosocomio servo.

In Hæmorrhoidum doloribus, frustra applicatis aliis remediis, virtutem cicutæ expertus sum.

*CASUS DECIMUS QUINTUS.*

**V**ir 50. ann. sæpissime hæmorrhoidibus cæcis, rarius fluentibus, laboravit. Hic ingentibus abdominis intestinorum crassorum doloribus, atque tenesmo intolerabili corripitur, alvus liquida frequens est, stranguria simul juncta.

Vocatus, clysmata ex lacte cum diacodio injici jussi; verum ea non retinuit; paregorica data nil proficiebant; sed de calore inde aucto conquerebatur æger. Confugi igitur ad cicutam, & drachmam extracti in aqua soluti spatium 12. horar. propinavi. Mox prodibat urina copiosa, dolores minuebantur; solus tenesmus post quamlibet alvum angebat ægrum. Continuavi igitur usum mixturæ, simul enema ex decocto cicu-

tæ cum lacte injectum fuit; retinuit per bihorium. Repetii mixturam; idemque clyfma fervavit hoc in corpore per 5. horas. Ita pergendo 6<sup>a</sup> die ægrum integre restitui.

Cataractæ progressum in aliquibus cicuta impedivi, nullum tamen curavi.

Cum cicutæ a multis virtus genituram extinguendi adscripta fuerit, viro 30. & aliquot ann., cui castitas ex voto est, tamen non nisi de matrimonio deliranti largiter propinavi. Verum nullam in eo mutationem deprehendi.

In indurationibus viscerum & morbis inde pendentibus egregia est cicuta.

#### CASUS DECIMUS SEXTUS.

**A**dolefcens 17. ann. longo jam tempore nil appetens, ab ingestis parca etiam copia, sumptis ingentes sentiens

tiens anxietates, plurima vomebat: tumor in regione scrobiculi cordis durus & magnus notabatur, spatio 2. mensium cicuta integre curatus est.

Binos ictericos, tumorem durum in hypochondrio dextro gerentes, eodem medicamento cito sanavi.

Cardialgias chronicas ad omnia medicamenta non cedentes cicuta fugavi.

*CASUS DECIMUS SEPTIMUS.*

**V**ir 40. & aliquot ann. dolores per longum tempus in ventriculo, & abdomine sentiens, non appetens, ab ingestis anxietates magnas patiens, stranguria simul laborans, nosocomium petiit, eum examinans nil nisi epigastrium, & hypochondria iusto duriora, & tumidiora, cum cachectica corporis constitutione inveni. Audivi, medicamen-  
ta

ta plurima aptissima ab egregiis in arte viris ei frustra ordinata fuisse, cicutam itaque exhibui, & spatio aliquot septiman. eum a doloribus, anxietatibus, strangu-ria liberum, bene appetentem cum sat bono faciei colore dimisi.

In colica pictonum, variis tentatis non proficientibus, cicuta profuit.

Hæc jam sunt, quæ maturo, & diuturno examine de cicuta concludere licuit. Æquus Lector facile inde determinabit, an medicamento virtus? an cancri curati, scirrhi resoluti, tumores annosi fusi, ulcera pessima consolidata, cardialgiæ, vomitus inveterati sanati solum naturæ opus? An hæc aeris, vitæ generis, alimentorum mutationi tribuenda? Certe id horum morborum naturæ, & casto ratiocinio repugnare videtur.

F I N I S.